Edit. I p. 881

VRIEL.

I

A *Gemmingen* vocabatur, tantosque in honestissimis studiis habebat progressus, vt legum Doctor creatus sit; deinde maioris ecclesiæ Decanus.

nobilissima natus fuit familia.

1) Parentibus, auis, maioribusque singulari virtute, opumque in Creichgouia modo non vulgari claris prognatus fuit VRIEL; quos vt hoc magis noscas, haud piget, illorum seriem, vt ipse eos schemate hoc genearchico comprehendit, subiicere.

- VRIEL *Archiepiscop.*
  - Ioannes *de* Gemingen, dictus *Audax*, Aduocatus in Germersheim. † 1487.
    - Eberhardus *de* Gemingen, Aduocatus in Germersheim 1469
      - Eberhard. *de* Gemingen † *sub an.* 1420.
        - Gerhard *de* Gemmingen. 1391
        - Anna *de* Liebenstein.
      - Elisabetha *de* Zwingenberg.
        - Ioannes *de* Zwingenberg.
        - Eva Rüdtin *de* Collenberg.
    - Barbara *de* Neiperg. † 1486.
      - Eberhard. *de* Neiperg.
        - N. *de* Neiperg.
        - N. N.
      - Margareta *de* Menzingen.
        - Eberhardus *de* Menzingen, *occur.* 1369
        - Elisabetha *de* Stein.
  - Brigitta *de* Neuenstein. † 1479.
    - Godefridus *de* Neuenstein.
      - Ioañes *de* Neuenstein.
        - N. *de* Neuenstein.
        - N. N.
      - Elisabetha *de* Münchingen.
        - N. *de* Münchingen.
        - N. *de* Michelfeld.
    - Elisabetha *de* Berlingen. † 1477.
      - Petrus *de* Berlingen.
        - N. *de* Berlingen.
        - N. N.
      - Catharina *de* Sindringen. † 1452 *vidua.*
        - N. *de* Sindringen.
        - N. N.

duos habuit fratres.

2) Fratres habuit duos, *Georgium* & *Erpfonem*, quorum vterque in Nemetibus & Vangionibus ad præcipuas dignitates ecclesiasticas emersit. *Georgius* enim Vormatiæ Canonicum & Spiræ Collegii cathedralis Præpositum egit; *Erpfo* Vormatiæ Decanus fuit, & dein Spiræ fratris in Præpositi muniis successor.

a maiori studiis fuit traditus.

3) Ceterum a *Georgio*, fratre natu maximo, viro vti impense docto, ita singulari rei litterariæ ornamento iuxta ac præsidio, studiis liberalibus magna traditus fuit cura. Prodit id *VVimphelingus* ac laudat in dedicatoria *Isidoneo* suo præmissa *, vt bene obseruauit *Burckhard* parte II de linguæ latinæ in Germania fatis cap. IV p. 380.

* Sic enim eam finit ille; *Vale, cunctorum studiosorum præsidium singulare, tuorumque gentilium & familiæ* Gemmingerorum *gloria sempiterna; quam optimarum litterarum studio, cui fratres tuos germanos*, Hurielem & Herpphonem, *feliciter tradidisti, amplificari facies nimirum & illustrari.*

4) Do-

Doctoris cum sequitur titulum,

4) Doctoris axioma, more nobilitati ingenuæ istis temporibus perquam vsitato, omnino haud aspernatus est, sed gloriæ sibi duxit, generis splendori litterarum gloriam iunxisse. Conf. *Langius* chronic. Citizenſ. p. 893, *Trithemius* chron. Hirſaug. p. 639.

& variis dignitatus.

5) Ab artibus honestis sic instructus, cetera vero pluribus virtutum conspicuus ornamentis, gratia, dignitate, honore, si quis tum alius, effloruit. Vormatiæ ædis cathedralis fuit Custos: Moguntiæ Reuerendiſſ. Collegii metropolitani nomine Præfectus Mumbacensis *; tandem Collegii principis Decanus, *Iacobo Liebensteinio*, ad celsissimi pontificatus Moguntini culmen euecto, legitimis suffragiis anno MDV suffectus. Vid. *Syllabus plenior* sect. II p. 305. Doctrina alioqui sua tantam nominis consecutus erat famam, vt Imperatori dignus vidsus fuerit, qui Spiræ Nemetum in foro Cæsareo ius diceret. Sic enim *VVurmserus* in catalogo Cameralium, inter præsentatos a Cæsare: *Vriel von Gemmingen, MDI, V Maii, postea Electior Moguntinus.*

* *Manifestum id faciunt Sculteti & Communitatis villæ* Mumbacensis *litteræ, vt vocantur, reuersales, siue, de obligatione reciproca, super Missa Mumbaei, Collegii Petrini permissu, instituta:* Dem würdigen, Edlen, vnd Hochgelerten Hern *Vriel* von *Gemmingen*, Doctor, Dhumherren zu Mentz, vnſerm gnedigen Hetren „ vnd Amptmann.

Edit. I pag. 882

ligitur Archiepiscopus

II In Iacobi locum electus fuit eodem anno MDVIII, VI Calend. Octobris; sed anno MDIX Dominica *Lætare* inauguratus. Fuit, hoc eius initio, grauis contra Senatum Erfordiensis plebis tumultus, e quo, quæ supersunt, natæ inter ciuitatem illam & Archiepiscopos Moguntinos controuersiæ. Ad arma deuentum fuisset, nisi peropportune rara pietate ac prudentia virum misisset illuc Maximilianus Imperator, *Laurentium Bibræum* Herbipolensem Episcopum. Inuenio apud Ioannem Pfefferkornium Maximiliani quasdam ad hunc litteras contra Iudæos anno MDIX, eiusque memini q. XIV in Tobiæ cap. XII.

1) VI Kal. Octobris electum *Latomus* quoque refert in catalogo manuscr. *Paulus* vero *Langius* l. d. *in festo SS. Martyrum, Cosmæ & Damiani*. Recte. Hunc enim diem quam certissime nobis signant litteræ, quas Canonici metropolitani ad Vicedominum, Burggrauium, ciuitatemque Moguntinensem dedere. In iis enim *Mercurii* post *D. Mauricii* communibus suffragiis Iacobo surrogatus dicitur. *Das vvir vff heute*, ita inquiunt, *den Hochvvirdigen Fürsten in Gott Vatter vnd Herrn, Herrn* Oriel *von* Gemmingen, *zu einem künfftigen Erzbischoff vnsers Stifts zu Mentz, ervvelet haben* — & in fine: *Datum vf Mitvvoch nach S. Mauricien tag*, 1508. Eundem diem produnt *Acta publica*, tum temporis consignata; *Die vero Mercurii XXVII mensis Septembris, anno, quo supra, electus fuit atque proclamatus in Archiepiscopum Moguntinum Reuerendissimus Dominus* Oriell *de* Gemmynghen, *antea Decanus Magunt. Dii bene vertant!*

d. 27 Sept.

2) *Cum mœrore totius populi* electum addit *Langius* l. d. Vtrum ex vero, cum ceteri, quos tractauimus, rerum Moguntinensium scriptores hic sileant, in medio relinquimus.

homagium a Moguntinis accipit.

3) Moguntinos post de more in verba sua sacramento adegit; præsentibus, pro consuetudine, e gremio Collegii Reuerendissimis quatuor Canonicis. Fuere ii *Thomas*, Comes *de* Rieneck, Custos, *Adolfus Ravv* de *Holzhausen*, Scholasticus, *Vlricus* de *Schechingen*, & *Adolfus* de *Stockheim*.

residuum subsidii sibi explicari vult.

4) Sub finem anni expetiit, vt Clerus partem subsidii pecuniarii Iacobo promissi nondum solutam explicaret; esse enim factas expensas satis graues Cæsaris caussa. Quod petitum cum Clerus haud iniquum esse videret, haud grauate annuit; simul autem rogauit, tolleret Vriel onera, queis ecclesiastici passim ab Officialibus & Præfectis premerentur, & consuetudines, libertates, iusque id, quod Clerus sibi peperisset, eidem, sicuti vsque huc fecissent Sedis Archiepiscopi, illibatum permitteret.

pallium redimit,

5) De cetero Iacobum, morti proximum, non sine caussa populi sui sortem miseratum fuisse, euentus ostendit. Sic enim *VVimphelingus* in Grauaminibus nationis Germanicæ p. 678; *Et cum Archiepiscopus Iacobus vix quatuor annos sedisset in Archiepiscopatu, mox post eum electus Dominus Vriel, ad minus XXIV aut XXV millia coactus est persoluere: quorum partem mutuo forsan accepit a mercatoribus; sed vt illis satisfaciat, imponere coactus est subsidium aut exactionem in suos populos & pauperes agricolas; quorum aliqui nondum satisfecerunt tributo aut exactioni pro pallio a suo predecessore Iacobo impositæ.*

opera Fuggerorum.

Vsus autem in redimendo pallio *Fuggerorum* opera est. Superat enim in bibliotheca Sereniſſimi Ducis Gothani epistola, ad illorum in curandis Norimbergæ negotiis ministrum data, qua *cambii litteras efflagitat ad impetrandam Romæ confirmationem in sacerdotio, & pallium a Curia emendum*, vt *Cyprianus*, cuius verbis hic loquimur, notauit in catalogo codic. manuscr. bibliothecæ dictæ cap. II n. CXXII p. 68.

quod magna sollemnitate suscipitur.

6) Allatum autem fuit pallium anno sequenti MDIX, festa Matthiæ Apostolo die, magnaque Moguntiæ susceptum sollemnitate. Sic enim Acta dicta, siue Protocollum Cleri secundarii; *Eodem die* (Matthiæ Apost.) *hora quarta per Nobiles Viros*, Laurentium Truchsess *de* Bommersfeld *Scholasticum*, & Ioannem Vilbel, *Canonicum Mog. tunc Oratores Reuerendissimi Domini Moguntini hodierni, allatum fuit ex vrbe pallium pro confirmatione eiusdem Reuerendissimi D. N. quod quidem pallium ea, qua decuit, reuerencia totus Clerus Moguntinus solenniter congregatus*

circa portam, vulgariter die Diederport *nominatam, ſuſcepit, cum decantacione reſponſorii de patrono, videlicet* Martinus Abrahæ, *& itum in eccleſiam Moguntinam, quo cum peruentum in organis & choro decantabatur,* Te Deum laudamus. *Et de poſt quilibet ad ſuas receſſit ædes.*

conſecratur Epiſcopus.

7) Quod deinde ius ſacrorum, ex veteri maiorum inſtituto, ea, quam auctor dixit, dominica ſollemniter capeſſiuerit, non *Latomus* tantum, l. d. teſtatur, ſed ante iam *Trithemius* quoque prodidit l. d. p. 639. Capeſſiuit autem, conſecrationis munus impertiente *Thoma Ruſcher*, Suffraganeo Moguntino, diuinæ rei ſubſeruientibus Epiſcopo Wormatienſi & Suffraganeo Spirenſi, adſtantibus Seligenſtadenſi, Amorbacenſi, Schönauienſi, & Erbacenſi Abbatibus; præſentibus item *Adolfo* Comite Naſſouio, *Reinhardo* Comite Rieneccenſi, *Philippo* Comite Iſenburgio, *Eberhardo* Comite Königſteinenſi, aliisque multis e præcipua Nobilitate viris; quos omnes finitis ſacris conuiuio excepit ſplendidiſſimo.

Bullam Pontificis de prabendu edit.

8) Bullam, *nè quis Clericorum ſimul poſſit habere Canonicatus aut Vicarias in diuerſis eccleſiis*, impetrauerat a Pontifice. Hanc die XXVII Martii promulgauit, ac Clero propoſuit. Qui ſe maximopere grauari iudicans, poſt habitas aliquot deliberationes, ad Curiam Romanam prouocauit; a qua etiam *citationem*, vt loquuntur, *cum inhibitione* obtinuit; quam dein more ſolito publicauit, & poſt multas ſollicitationes eo tandem rem deduxit, vt Vriel incepto abſiſteret.

regalia accipit Vormatiæ.

9) Bulla dicta Clero propoſita Vormatiam profectus eſt, vt intereſſet Comitiis. Ibi poſtea in frequenti Electorum, Principum, Comitum, Nobiliumque corona, apparatu ſollemni, regalia Imperiique beneficia die XXIII Aprilis Maximiliano Cæſari accepta tulit.

in Comitiis Archicancellarii munia obit.

10) Quo ante finem eorum in expeditionem aduerſus Venetos eunte, ipſe Vormatiæ remanſit, Archicancellarii munia vt præſens obiret. Transmiſſo enim Kauffbeura die menſis Maii XIV per *Ioannem Storck*, Conſiliarium aulicum, ſigillo Cæſareo, Maximilianus volebat, vt litteras, diplomata, aliaque, quæ vel ab Ordinibus Imperii, vel Legatis Cæſareis, vel Iudicio, quod vocant, Camerali durantibus Comitiis ederentur, ſua Vriel manu, ſicuti annis ſuperioribus deceſſor Bertholdus, ſubnotaret, ſignoque firmaret Imperatorio.

V. cod. Dipl.

fœdus cum Brandenburgenſi & Wirtembergenſi prorogat.

11) Præterea in iisdem fœdus, in quod olim cum *Friderico* Marchione Brandenburgenſi, & *Vlrico*, Duce Wirtembergico, Bertholdus coierat, viginti in annos, tranquillitatis publicæ cauſſa, prorogauit. *Dattius* lib. V de pace Imperii publica cap. III p. 796.

Frovv. de Hutten Cæſari ad tempus concedit

12) Vtebatur autem tum in capiundis conſiliis ac aulæ miniſterio *Frovvino* de *Hutten*, magnaque & vetere proſapia viro; quem cum virtute, prudentia, multoque rerum vſu ſtirpi ſuæ parem intellexiſſet Maximilianus, hominis conſilio ad vnum, alterumque menſem vti diſcupiebat. Litteris igitur die XXIV Iulii datis ſuum Vrieli explicabat deſiderium. Cui ille hoc pronius ſubſcripſit, quo magis honorificum ſibi ducebat, tam præſtanti virum ingenio ſibi locare operam. Edit. I p. 882

V. cod. Dipl.

Haſſum in pactionē de re nummaria recipit.

13) Iisdem fere diebus *VVilhelmus II* ſiue medius, Landgrauius Haſſiæ, in pactionem de re nummaria ſuperioribus annis a quatuor Electoribus Rhenanis confectam, recipi deſiderauerat. Idem, eo inter hæc fatis functo, *Philippi* filii & heredis nomine locoque nunc petebant conſtituti Landgrauiatus adminiſtratores, *Ludouicus* de *Boineburg*, aulæ Magiſter prouincialis, *Dietericus* de *Cleen*, Balliuiæ Commendator Marpurgenſis, *Hermannus Schenck* de *Schweinsburg*, *Caſpar* de *Berlipſch*, vterque honoratæ militiæ inſignibus illuſtris, *Georgius* de *Hatzfeld*, Dynaſta Wildenbergæ, *Levvenſtein* de *Levvenſtein*, Mareſchallus, *Henricus* de *Bodenhauſen*, & *Iodocus* de *Baumbach*. Quorum illi precibus relinquentes locum, *Philippum*, Lunæ poſt feſtam Michaeli Archangelo lucem, his admiſere conditionibus: Legibus ſtet ac capitibus, de re monetaria in nupero conuentu conſcriptis. Florenos, quos cuderit, ſic ſignet, vt in priori facie exhibeant ſcutum maioris formæ, cum inſignibus Haſſiacis, idque quatuor Electorum Rhenenſium parmulis cinctum: circa vero hæc verba: *Moneta aurea Rhenenſis*, vna cum anno, quo conflati, cifris ſiue numeris exſcripto: in poſteriori repræſentent Haſſi patronum tutelarem; infra ad pedes illius inſignia; circa vero, nomen Landgrauii, titulumque. Ad quas conditiones moderatores dicti libenter acceſſere, ſacramenti religione per legatos interpoſita.

Teutonicis Marburgi ius patronatus ad eos translatum confirmat.

14) Fratribus poſtea Ordinis Teutonici Marburgenſibus *ius patronatus ſeu præſentandi ad altare S. Barbaræ* in parochiali villæ *Goſſelden*, in ipſos a Fratribus domus Marburgenſis vulgariter *zum Levvenbach* appellatæ translatum, auctoritate ordinaria ſtabilivit, plenam iis & ſucceſſoribus, liberamque concedens poteſtatem, perſonam idoneam ad dictum altare, quoties illud vacare contigerit, præſentandi, & alia, quæ patronis de iure competunt, faciendi. Litteræ hac de re datæ, quas in codice noſtro inuenies, ſignatæ fuerunt Moguntiæ d. XXVI Nouembris.

a Reuchlini cauſſa haud alienus eſt.

15) De epiſtola vero, quam eodem hoc anno a Cæſare Maximiliano accepit, conf. *Maius* in vita Reuchlini p. 259, immo ipſe *Capnio* in ſpeculo oculari *(Augenſpiegel)* cui eam non minus, quam ipſam Vrielis ad ſe miſſam præmiſit. Ceterum, quæ Vriel in hac ipſa Reuchlini aduerſus *Ioannem Pfefferkornium*, exiudæum, cauſſa egerit, idem narrat *Capnio* in litteris ad Wimphelingum anno MDXIII datis, quas *Maius* l. d. in lucem protulit p. 390 & ſeq.

ciuitati Erfurtenſi proſpicit.

16) Ceterum non hoc ſolum, ſed ſequentibus etiam annis multum laboris exhauſit ac curarum, vt ciuitati Erfurtenſi, inteſtinis motibus diſtractæ, magnumque iam in periculum adductæ, proſpiceret ac mederetur; de quibus omnibus fuſe curateque egit *Gudenus* hiſtor. Erfurtenſ. lib. III § VIII & ſeqq.

p. 170 & seqq. quem adeo consulere iuuabit.

de loco ac effu Beguttis a Sickingio destinatis inquiri iubet.

17) Anno subsequenti MDX *Franciscus Sickingius*, magni illeheros nominis, belloque Treuirensibus illato notissimus, ne pia parentum suorum voluntas citra effectum esset sollicitus, de domo vna cum oratorio pro *Beguttis* siue Virginibus quibusdam, *D. Augustini* regula deuinctis, extruenda cogitabat, vniceque habebat in votis, vt suo rem Vriel assensu, consilioque promoueret. Is, tametsi animo a religionis operibus haud erat alieno, prius tamen, vt vigilantis erat ingenii ac in omni vitæ officio circumspectus, de toto rei statu ex viris fide dignis sibi cognoscendum ratus, Patri domus Rauengeresburgensis & Plebano siue Parocho Crucenacensi die XVIII Iulii in mandatis dedit, viderent, an locus, domui illi ac oratorio destinatus, honestus sit, ac religioni exercendæ conueniens; censsus vero designatus sororibus alendis sufficiat.

parochialis Hoestatensis parochiali castri Friedbergensis incorporat.

18) Post *Emerici*, *Caroli*, *Ruperti*, & *Hermanni* de *Carben*, fratrum & consanguineorum, id dedit precibus, vt parochialem villæ *Hoestat*, vna cum prouentu, parochiali arcis Friedbergensis, *D. Georgii* martyris & *Antonii* Confessoris honori sacræ, in augmentum portionum quotidianarum sacris in choro operantibus præbendarum, tabulis Moguntiæ die XXIX Octobr. datis incorporaret, siue in perpetuum adscriberet.

Sacerdotum indoctrinã,

19) Edoctus autem, plerosque fere diœcesis Moguntinæ Sacerdotes nec rerum diuinarum cognitione, nec communium litterarum scientia ornatos esse, anno postero, qui a salutifero Virginis partu MDXI fluxit, Vi-

v. cod. Dipl.

cario suo in ecclesiasticis ac Commissariis, vt vocantur, Aschaffenburgensi, Frizlariensi, Erfurtensi, Ameneburgensi, Heilgenstadensi, Göttingensi, Northusensi, Eimbeccensi, ceterisque, litteris ipsis Kalend. Ianuar. signatis, mandauit, vt quisque iurisdictioni suæ subiectos, loco atque tempore opportunis, adhibitis, si opus fuerit, viris aliis doctis, examinet de administratione Sacramentorum, forma baptismatis, pœnitentiis iniungendis, intellectu euangeliorum, quomodo & quid populo sibi commisso in suis sermonibus proponant; de ceterisque constitutionibus synodalibus, & an eas (quantum ad eos pertinent) obseruent. Quos minus idoneos ac ad sacrum ministerium aptos quisque repererit, sine ambagibus per litteras indicet.

& vitam inquiri iubet.

20) Aliis eodem die datis dicto suo in ecclesiasticis Vicario, Iudicibus, statutorum prouincialium Executoribus & Commissariis in mandatis dedit, vt in Sacerdotes concubinarios & fornicarios diligenter inquirant; quos inuenerint, sub censurarum commination e serio moneant, vt concubinas & mulieres alias, quas iura non admittunt, ab se intra tempus præstitutum remoueant; aduersus minus morigeros vero aut contumaces, prout moris est, procedant.

v. cod. Dipl.

Parochis Mulhusanis de certa sepultura mandatum dat.

21) Hæc inter autem acciderat Mülhusæ, vt Plebani ac diuinorum Rectores funera illorum, qui repentina morte *casualiter & propria incuria* intercepti erant, sepulturæ ecclesiasticæ tradere recusarent. Quod cum in mortuorum præiudicium, relictorum vero terrorem non modicum vergere videretur, litteris VII die Ianuar. datis dictis Parochis ac Curionibus ad decem annos facultatem concessit, cadauera modo dicto defunctorum (dummodo in fide orthodoxa decesserint, & dum in viuis agebant, signa animi prætulerint pœnitentis, ac minimum semel in anno de peccatis ediderint confessionem) supremo mandandi officio.

v. cod. Dipl.

Sacellana Neudorfensi ius baptizãdi concedit.

22) Post Collegii Petrini consensu ecclesiæ *Neudorffensi*, quæ filia erat Elteuillanæ, die X Aprilis fontem concessit baptismatis. Sæpius enim vsque huc contigerat, vt infantes Christo initiandi, dum hiemali vel pluuio Altamuillam deportabantur tempore, tempestatis debilitarentur violentia, & ante diem vitam clauderent. Indulsit igitur, vt in posterum in sacello villæ a Sacellano loci sacro baptismatis lauacro abluerentur.

Michelstadtensi parochiali Pungstadensem attribuit.

23) Quin, vt diuinum cultum in parochiali *Michelstadtensi* in pristinum restitueret statum, eidem similiter sub anni MDXII sequentis auspicia, *Eberhardi* Pincernæ Erpacensis rogatu, parochialem Pungstadtensem, cum vniuerso vsu fructu, ad augendas portiones clero quotidie præberi solitas, elargitus est, in perpetuumque adunauit.

III Anno MDXII fuit in frequentissimo Principum conuentu, quem Treueros accierat Imperator. vbi & illorum precibus reseratum altare summum, quod anno MCCXCIV obseratum fuisse dicebatur, ex eoque in hominum oculos prolata inconsutilis Domini tunica. Eodem anno MDXII sanxit, vt in Choro *B. Virginis ad Niues* anniuersaria esset memoria.

Treueri obis templa.

1) Treueris non consultationibus modo de communi periculo ab Germaniæ finibus propulsando gnauiter interfuit, verum etiam templa augustæ vrbis, diuorum monumentis, pignoribusque consecrata; signata itidem martyrum inclitorum vestigiis cubilia, supplex obiit, quibus religionibus cum sic studiose incumberet, hunc pietatis suæ tulit fructum, vt ipsam quoque B. Virginis matris tunicam casu ibidem inueniret. *Brouverus* annal. Treuirens. lib. XX § L p. 329.

Treuirense

2) Ipso dein almæ Pentecostes die *Richardum*, Archiepiscopum Treuirensem, antiquo & in eiusmodi sacris adhiberi solito ritu, in magna Procerum vtriusque Ordinis frequentia, pontificem consecrauit, *VVilhelmo* Argentoratensi & *Reinharto* Vormatiensi inseruientibus. Idem *Brouverus* l. d. § LI p. 329.

consecrat.

3) Ceterum eodem hoc anno, Lunæ post D. Dionysii, fœderi Sueuico, Augustæ in decem annos rursus prorogato, subscripsit. *Dattius* l. d. cap. XXI p. 382; in quo tamen, librarii vitio, pro *Vriel* est *Cariel*

Iudæis in A-

4) Cum vero hoc temporum tractu magna passim

gro Moguntino dat Rectorem.

passim Iudæorum multitudo in agro Moguntino larem haberet, sedesque, ne sine moderatore, animi sui, ingeniique prauitate iuris pudorisque perfringerent repagula, eisdem anno sequenti MDXIII pro rectore (*zum Rabi, Hofmeister vnd Corrigiereren*) imposuit tribulem, nomine *Beyfuss*, hominem ritus patrii sat gnarum, ceterum vero artis medicæ haud prorsus imperitum. Datum autem ei negotium, vt tribulibus per diœcesin Moguntinam singulis ac omnibus (*allen vnd ieden Iuden, mann vnd frawv, in vnserm Cresam vnd Stift, so vveit der langet*) secundum leges gentis ius diceret: si quis quid aduersus eas deliquisset, pro noxa debito modo vindicaret; matrimonii ineundi licentiam petentibus faceret; initi vinculum, re sic exigente, solueret; eaque omnia, quæ ἀρχισυναγώγης sunt, fide haud fluxa curaret. Adiecta conditio, vt Weissenauiæ suum collocaret domicilium, nec iniquis pudendisque vsuris concederet locum. Tabulis Vriel, Vormariæ Martis post dominicam *Exaudi* dictam, datis præmisit, caussis ad hoc iustis legitimisque sese adductum. Edit. I p. 882 v. *cod. Dipl.*

plura sanctimonialium cœnobia reformat.

5) Ceterum non minus, quam Iacobus decessor, id in maximis ac necessariis rebus habuit, vt sanctiorem disciplinam sanctimonialium in mores reduceret. Quippe anno statim MDIX parthenonem *Thundorfensem*; sequenti *Anrodensem*; anno MDXII *Beuernensem* & *Katlenburgensem*, præstantium ordinis monastici virorum opera, ad priscum viuendi ritum composuit.

moritur,

IV Ex hac luce discessit anno MDXIV, die XI Februarii, vt S. Christophori *MS.* ait, addens etiam die XII sepultum. Sed quæ in ipsius monumento est publica inscriptio diem IX notat. Ea vero est huiusmodi. Vrieli *de* Gemmingen *Archiepiscopo Moguntino, Principi Electori, viro singulari vitæ grauitate, animique constantia præclaro, qui posteaquam sedit annis IV mens. IV, ætatis suæ anno XLV, a Christo nato MDXIV, V Idus Februarii, vitam cum Pontificatu deposuit* *.

1) *Nota, his inferne sequentia subiecta esse: *Albertus, Marchio Brandenburg. Archiepiscopus Mogunt. successor mortuo P.*

sepelitur.

2) Sepulcro autem illatus est, vt in viuis ordinarat, in *loco*, qui vocatur, *Memoriæ*, XIII Februarii die, ante altare D. Aegidio dicatum, & in ichnographia ædis summæ notatum n. 5. Tumbæ vero impositus lapis, cum inscriptione, quam ceteras inter dedi in Epitaphiis.

quæ hic notanda.

V In extremo eius actu duo notat, quæ a patribus acceperit, MSL. *Vnum* quasi certum; Vrielem, cum homo esset frugi, suorumque cellariorum quendam alieno tempore noctu Aschaffenburgi e cella vinum suffurantem comperisset, ægre adeo tulisse, vt victorium, qui forte fortuna ibi ad manum fuit, arripuerit tuditem, eoque adeo valenter iniqui serui caput percussierit, vt exanimatus miser ille corruerit. *Alterum* incertum; tanta suæ huius iræ ictusque tactum pœnitentia, vt cum postridie, tertia scilicet feria, pridie Purificationis, Moguntiam venisset, nimio animi mœrore paullo post mortuus sit, vel se mortuum simularit, & ipsius loco cellarius ille funere magnifico elatus sit ac humatus; ipse autem vt toto residuo vitæ tempore pœnitentiam ageret, in Carthusiam sese quandam, peregrina in regione, abdiderit. Priori famæ assentitur MS. posteriori vero MSL. dicens: *Hæc vt libentius credam, facit huius Archiepiscopi epitaphium, e regione chori ad dexteram situm; vbi tantum imaginem crucifixi videmus: Episcopum vero flexis genibus, nudo capite, sine omni ornatu Pontificali procumbentem, bacillum vero seu pedum confractum, chirothecas, mitram, & sandalia ad stipitem crucis iacentia.* Sic ille. Mihi vero liquet nihil. Varii quandoque hominibus, etiam magnis, casus accidunt, *Ira, furor breuis est:* & pœnitendi vis interdum magna. Sed & inania de illis finguntur non raro multa: cuiusmodi & hoc est, nudo capite ipsum esse, cum infulam, ceterumque pontificalem ornatum habeat.

Horat. l. 1 ep. 2.

1) Prius, circumstantiis tamen quibusdam diuersis, e libro quodam manuscr. *Dieffenbachius* etiam memorat l. d. Quod ad posterius vero, hæc subdit: *Archiepiscopus nimio terrore perterritus, hoc factio, Moguntiam ventum & quinque satellitibus festinauit. Veniens autem ad Castell, tertio ante Hypapantes festiuitatem, inter densissimam nebulam, glaciemque, quæ pridie resoluta erat, magno timore solus Rhenum traiecit, ceteris ea vice traiicere nolentibus. Altera autem Dorotheæ Archipræsul surgere volens e lecto, tactus fuit, mansitque sine loquela in quintam vsque feriam, quo fato spiritum reddidit, ac sequenti dominica, qua fuit* Septuagesima, *sepulturæ traditur in ambitu ecclesiæ.*

magna vir fuit prudentia.

2) Eximia vir fuit prudentia, priscique moris in ecclesias reducendi haud parum studiosus. Illud vel ipse successor *Albertus* in epitaphio haud reticet; hoc *Wimphelingus* l. d. p. 679 his indicat verbis: *Vriel Archiepiscopus impetrauit, ne quis deinceps simul possit habere canonicatus aut vicarias in diuersis eiusdem ciuitatis ecclesiis.* conf. huc, quæ supra n. 8 ad § II dixi.

3) *Lan-*

Edit. I pag.

3) *Langius* in alia omnia abit, ac l. d. ait: — *qui negligenter, immo perperam præfuit: plures quippe ſemper hoſtes habuit, ac eccleſiam multis debitis aggrauauit.* Sic ſatis acriter, modo vere.

4) Mortuus bonis ſui reliquit deſiderium: quos inter *Conradus Mutianus Rufus* epiſt. CCCLVIII p. 174 *Defleui fatum*, inquit, *repentinum Pontificis prudentiſſimi, teſte panniculo, quo tergebam hos oculos.*

883

ALBERTVS II,
ab aliis
ADELBERTVS IV.

I

PAtrem habuit Brandenburgicum Electorem *Ioannem*, fratres *Ioachimum* & *Ioannem Albertum* *: quorum ille fuit patre mortuo Elector; hic vero Canonicus Moguntinus.

ortus ſtirpe Marchionũ Brandenburgenſium.

1) ALBERTVS lucem adſpexit anno MCCCCXC. *Reineccius* origin. ſtirpis Brandenburg. p. 39. Patre natus, vt auctor iam notauit, *Ioanne*, Electore Brandenburgenſi, qui a procera & heroica corporis ſtatura, ſummaque per Imperium auctoritate *Magnus*, ab eloquentia vero *Cicero Germanicus* cognominatus fuit. *Idem* l. d. p. 38. Matre *Margareta*, *VVilhelmi III*, Saxoniæ Ducis, filia. *Idem* l. d. p. 37. Nec enim audiendus hic *Leuckfeldius*, qui antiquitat. Gröningenſium cap. IV §XL. p. 54 matrem ei fuiſſe dicit *Eliſabetham* Danicam. Fratrem habebat *Ioachimum*, patris, vt auctor haud tacuit, in dignitate Septemuirali & Marchionatu Brandenburgico ſucceſſorem. * Patruelem vero *Ioannem Albertum:* quem dum auctor ei hic fratrem dat, fallitur. Notum enim, quod is patre *Friderico* (qui vulgo *Senior* dictus eſt, ac in auiti diuiſione patrimonii Burggrauiatus Norimbergenſis inferioris terras, Principatum Onoldinum complexas, accepit) matre vero *Sophia*, *Caſimiri IV*, Regis Poloniæ, filia, prognatus fuerit.

Dictis nonnihil lucis fœnerabitur, quod ſubiicio, ſchema.

ALBERTVS
vulgo *Achilles Germanicus* dictus,
Elect. Brandenburgenſis.
vx. I *Margareta*, *Iacobi*, Marchionis Badenſis, f.
II *Anna*, *Friderici*, cognomento *Placidi*, Elect. Sax. f.

I	I	2
Ioannes, Elect. Brandenburg, vx. *Margareta*, *VVilhelmi*, Ducis Saxon. fil.	*Fridericus*, dictus *Senior*, Marchio Onoldinus, vx. *Sophia*, *Caſimiri IV* Reg. Polon. f.	*Sigiſmundus*, Marchio Byruthanus, † 1495, ἄγαμος.

Ioachimus, Elect. Brandenb. — ALBERTVS, *Archiep. Mog.* — *Caſimirus*, Marchio Byruthanus. — *Georgius*, Marchio Onoldinus. — *Albertus*, prim' Pruſſiæ Dux. — *Ioannes*, Prorex Valentiæ. — *Wilhelmus*, Antiſtes Rigenſis. — IOANNES ALBERTI *Canonicus Moguntinus*, & ab an. 1538 vsque ad 1549 *Cuſtos*; ab anno 1545 *Archiep. Magdeb.*

bonis litteris fuit exultus.

2) Cum bonas litteras, vna cum fratre, ſingulari addidiciſſet diligentia, magnoque earum in melius prouehendarum deſiderio flagraret, eidem poſtea in academia Francofurti ad Viadrum inſtituenda omni conſilio affuit, opeque. id quod *Ioan. Behmius* in dedicatoria duarum orationum hiſtoricarum, *de duplici diuinæ gratiæ fundamento, cui Boruſſiaca academia ſuperſtructa*, p. 8 dudum prædicauit, ex eaque *Crenius* in epiſtola nuncupatoria parti XV animaduerſionum philologic. & hiſtor. præmiſſa p. vt ego numero, 9 repetiit.

II Factus vero erat Archiepiſcopus Magdeburgenſis, & Germaniæ Primas, eccleſiæque Halberſtadenſis Adminiſtrator anno Domini MDXIII; ſed cum eſſet etiam Canonicus Moguntinus, & Treuirenſis, e vitaque non ita pridem migraſſet Moguntinus Archiepiſcopus *Vriel*, prout ſupra vidimus, concordi omnium ſententia & voce, a Moguntino Capitulo toto, illius in locum ſuffectus eſt anno Domini MDXIV, die IX Martii: ſtatimque acceſſit Leonis X approbatio; a quo Cardinalatus etiam dignitate auctus eſt, & anno MDXVIII ab illius Legatis